

v.1.

1. aliorum iniustitia ac violentia: (Κυνοφαλιὰς ἐν χειροδουσίᾳ nominat Græca metaphrasis) ac defectu consolationis. Quo statu utentes plurimos esse indigitat. v.1. [Etece lacrima defraudatorum, qui non habent consolatorem; atq; adeo lacrima ob manū sive potentiā fraudantium eos suo jure per vim. Job. 35:9. dicuntur defraudati, qui quiritantur ob brachiū amplorum.] Ex quo infert omnium viventium miseriam. Nemo enim tutus, quod cuiquam accidit, omnibus metuendum est; & qui videt istud opus malum, non commoveri ad commiserationem aut indignationem non potest. Miseriam exponit per σὺ γκερασιν: cujus conditio melior sit; vivi, mortui, an nondum nati? vers. 2. 3. mortuos, qui pro plano mortui sunt (qui non amplius cum spe vitæ & mortis metu luctantur) præ vivis, qui vivunt hucusque. q. d. qui non sunt vivi, nisi in ipso hoc nunc; sed de futuro mortui sunt: quia & certò morientur, & mortem omnibus momentis metuunt; vel vitam, quam sperant, ob posibles injurias, expavescunt; imo & cum vita luctum ac miseriam producant. Qui nondum extitit potes intelligere eum, qui in matris utero adhuc gestatur. Alioqui abusio est, dicere beatitudinem de eo, qui planè non est. Quòd si sic capiendum est, 1. bonum exaudiemus statum optabiliorem ob carentiam miseriam, ut innuatur, omnem lætitiā humanam minùs esse optabilem ipsa carentiā lucis & vitæ. 2. qui non est, concipiemus, ut ens, propter nascendi possibilitatem. Cæterum hæc eò pertinent; ut ostendatur, ἐν ἰσχυρίᾳ illam, qua hominis vita beata est, non fundari in rebus mundanis, neq; esse humanæ facultatis, sed divini doni. Si enim etiam illi, qui sine ulla πλεονεξίᾳ cuperent esse suā sorte contenti & ea lætari, ob aliorum violentiam & iniustitiam eā sorte frui non possunt; atque à natura hominum vehementer discrepat, ereptionem sui & vim læto animo pati, aut eam videntem non commoveri; efficitur, lætitiā neque in ulla sorte hominum neque in ullius animi facultate constare. Quòd verò præfert viventi non natum, id accipiendum est secundum causas dicendi, quatenus hominis bonum quæritur in conditione vitæ & ipsius facultate. Hæc autem assertio firmat doctrinam Christi: Beatos esse, qui persecutionem patiuntur ob nomen Christi; Beatos tristes, quia consolatione fruuntur. Si enim ista beatitudo in mundo esset, sine causa à Christo promissa esset. Solomo quidem c. 9:4. videtur contrarium dicere ejus, quod hic dicit. Sed si ibi causæ

v.29.